



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Hostis infensissimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

*Alexandri
factus.*

ADhæc lancea in quacumque videatur imagine, præter militiam ipsam famæ etiam celebritatem indicat. Quare Lyfippus, ut Plutarchus ait, eam in Alexandri manu posuit, fulmen quod afflicerant, aspernatus, utpote qui celebrem eum una vix ætate existimaret, dummodo quis veritatis studiosus, ea tantum quæ re vera gesta fuissent ab Alexandro collegisset. Quod vero ad extensionem in longinquum facit, Telum appellant quicquid à manu jacitur, quod *πλήξ* & *πλάξ* procul apud nos sonat. Quamquam apud Cajum Jurisconsultum telum vulgo appellaretur, quod ab arcu tantum mitteretur.

HOSTIS INFENSISSIMUS. CAP. XXI.

*Ad verbum
à Plin. libr.
38. cap. 4.
Siliæ 177
427 abas.*

Infensissimum hostem, qui omnes, quo maxime lædat, vias exploret, nonnulli significare cum vident, jaculum terræ appressum cuspide in ejus læva statuant, dexteram vero oriri objiciunt, eo gestu, ut in eam inspuat: nempe quod persuasum sit icibus aggravari saliva in manum ante conatum ingesta. Id vero ea de causa fit, quia manus ita magis solidescit, & major in vibrando vis accedit, non autem quod ea quædam sit fascinatio, ut Magi putant.

OFFENSIONIS ILLATÆ POENITENTIA.

CAP. XXII.

*Idem à Plin.
lib. 38. c. 4.*

NAM illud forsan pertineat ad Magiam, quod à jactu, si quem inferendæ jam injuriæ poenitentur, in mediam expuendo manum, qua vibraverit, lævari percussum à poena prodiderunt. Alio qui pleraque alia expuere, contra omnes fascinationes & pericula amuletum esse creditur. Unde apud Theocritum *τρεῖς εἰς ἐμὸν ἐπίουσι κόλπῳ, ter in sinum meum inspuis*. Meminere hujus rei & Plinius, & authores alii plerique.

SUMMUS HONOR. CAP. XXIII.

*Hasta gestamen
natum.*

SED enim ne Lyfippum adeo malignum aut invidum in Regem suum, ut paulo ante dictum, fuisse suspicemur, sciendum hastæ gestamen haudquaquam inter vulgares honores habitum, tantæq; apud veteres venerationis fuisse, ut loco diadematis pro insigni Regio haberetur. Neque temere Virgilianus Æneas,

Æneid. l. 12.

*Bina manu lato crispans hastilia ferro,
Ingreditur.*

Ibidem.

Et Regis filius Pallas apud eundem, telo raptò volat obvius ipse Æneæ. Neque quidem ea solum donari solitos tradunt, qui fortiter in bello fecissent, verum & Junonem Curitin ab eo nuncupaverunt: Curis enim hasta Sabinis erat, quod jam apud omnes pervulgatum est.

STRENUUS. CAP. XXIV.

*Plin. lib. 7.
cap. 28.**Hasta pura.*

EORUM qui fortiter fecissent insignia, more quodam hieroglyphico apud veteres fuisse reperio hastas puras, quibus milites ab Imperatoribus donari soliti, eaque de causa Sicinium Dentatum, Plinio referente, hastis puris duodeviginti donatum. Hastas vero puras, Donatus & Servius interpretantur, sine ferro, eo præsertim Maroniano visu:

Æneid. lib. 9.

Ille, vides, pum juvenis, qui nititur hasta.

Qui quidem futurus erat Rex, multorumque Regum parens.

BELLUM. CAP. XXV.

APD Carthaginenses, genus intractabile bello, belli hasta erat indicium. Hinc cum bellum velle se cum Romanis professuri essent, Romam ad eos hastam suæ voluntatis signum miserunt. Sed enim apud Macrones, dare accipereque lancem, fanciti fœderis signum fuit, cujus rei meminit Xenophon, De reditu Græcorum IIII.

SUMMA IMPERII. CAP. XXVI.

EA vero de causa viros fortes hasta donari putat Festus Pompejus: quod hasta summa armorum & Imperii esset, captivosque sub ea vendi morem fuisse, proindeque rei fortiter gestæ signum erat.